



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1678

Articuli probationum contra fratrem Vbertinum de Casali inductarum à
fratre Bonagrata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14688



ARTICVLI PROBATIONVM
 contra fratrem Vbertinum de Ca-
 sali inductarum à fratre Bona-
 gratia.

In Christi nomine.

INFRASCRIPTA addit frater Bona ad arti-
 culos quos dedit coram vobis Reverendo Pa-
 tre Domino fratre Guillelmo Episcopo Sabinensi,
 dicens quòd frater Vbertinus de Casali dixit, as-
 seruit, docuit, tenuit, & defendit infrascripta in
 suis confessionibus & libellis per ipsum fratrem
 Vbertinum factis & compositis & sponte publi-
 catis & divulgatis & etiam judicialiter productis,
 de quibus confessionibus & libellis nusquam re-
 peritur bonæ memoriæ Dominum Clementem Pa-
 pam quintum cognovisse, nec super his aliquam
 commissionem fecisse, nec de eis sibi alii quam re-
 lationem factam fuisse.

Vide Ode-
 ricum Ray-
 nald. ad an.
 1325. §. 20.

Primò enim dicit quòd ipse frater Vbertinus ar-
 guendo & invehendo contra præsidentes ordini
 Minorum asserentes quòd frater Petrus Iohannis
 in scriptis suis, & maximè in postilla quam com-
 posuit super Apocalypsim, malè dogmatizabat &
 sentiebat de Ecclesia Romana, dicit & asserit in
 hæc verba: *Malignissimè & impiissimè dicunt &
 imponunt quòd frater Petrus Iohannis in scriptis & in
 postilla quam scripsit super Apocalypsim, vocat Romanam*

T iij

Ecclesiam meretricem magnam, & alia multa in Ecclesia vituperiunt dogmatizet. Hoc enim est mendacissimum. Quinimmo devotissime & reverendissime, catholicè, & efficacissime pro veritate & auctoritate summi Pontificis & Romana Ecclesia & in Apocalypsi & alibi, ubi congruenter occurrit, loquitur, & optimè semper & rectissime de Romana Ecclesia est locutus; nec unquam unum minimum verbum potest reperiri de suo quòd predictis insanis suffragetur. Hæc verba dicti fratris Vbertini per eum dicta & dogmatizata in quodam libello quem composuit ad defensionem doctrinæ & errorum quos docuit dictus frater Petrus, qui incipit Sanctitati apostolica, judicialiter producto. Ex quibus sequitur quòd aut frater Vbertinus asserendo dogmatizata in dicta postilla fore vera, optima, rectissima, & catholica, est censendus credens & defensor hæresum contra Romanam Ecclesiam in ipsa postilla dogmatizarum, aut duodecim magistris solemnes, quibus sanctitas vestra commisit examinationem dictæ postillæ & contentorum in ea, graviter erraverunt, asserendo firmiter se invenisse in dicta postilla composita per dictum fratrem Petrum Iohannis dogmatizari quòd Ecclesia Romana est Babylon, meretrix magna, & quòd ejus gloria & potestas propter ejus adulteria transferatur ad electos sexti status, & quòd ipsa Ecclesia Romana in sexto statu sic universaliter repellitur & rejicitur sicut in primo Christi adventu formata est nova Ecclesia, veteri synagoga rejecta, & sicut Vasthi Regina à regno & conjugio Regis Assueri est abjecta, & humilis Esther & sancta ad ejusdem Regis connubium & regnum est electa, & se invenisse plura alia contra Romanam Ecclesiam & ejus statum dogmatizari in dicta postilla, & quæ omnia de Ecclesia Romana & ejus statu ibi

Vide supra
pag. 268.

Vide Nicolaum Eymerci in Directorio Inquisit. par. 2. q. 2.

dem dogmatizata iudicaverunt & iudicant ipsi duodecim Magistri hæretica manifestè. Quorum Magistrorum sequendo iudicium sive dictum, sanctitas vestra de consilio Dominorum Cardinalium damnavit dictam postillam tamquam multa evidenter hæretica continentem, secundùm quod dicti duodecim magistri deposuerant. Sanctitas etiam vestra in constitutione quam fecit contra sectam Serabaitarum, quæ incipit *Gloriosum*, errorem Serabaitarum, qui dicebant Ecclesiam Romanam carnalem & meretricem magnam & auctoritate & potestate privatam, damnat, non sicut novam hæresim, sed sicut hæresim Donastitarum & Manichæorum ac Valdensium, & mandat eos sicut hæreticos capi & puniri. Et si ibidem dogmatizata non essent hæretica manifestè, sequeretur etiam quòd processus & sententiæ prolatæ per Inquisitores ordinis Prædicatorum & Minorum contra Serabaytas & Bograos, pro eo quòd asserebant pertinaciter dogmatizata in dicta postilla de Ecclesia fore rectissima & catholica, quos ob hoc ipsi Inquisitores sequendo consilium dictorum magistrorum duodecim & aliorum doctorum iudicaverunt hæreticos, essent injustæ & irritandæ. Vnde clarè sequitur quòd cum illi injustè sint condemnati & morti traditi, cum propter istam doctrinam, quam asserebant, fuerint combusti, an oportet dicere quòd si justè fuerint condemnati quòd ista doctrina sit hæretica, quia ex hoc sunt condemnati quia contenta in ista doctrina non erant vera. Insuper idem frater Vbertinus per auditores deputatos à vestra sanctitate super quæstione mota contra eum de huiusmodi articulis dogmatizatis contra Ecclesiam Romanam & ejus statum in dicta postilla & aliis interrogatus utrum dictus frater Petrus docuerit in scriptis & libris suis prædictos articulos

de quibus contra eum, fatetur quòd ipse frater Petrus in substantia ipsos articulos & omnes propositiones contentas in eis dogmatizat, sed ad defensionem eorum adicit in sua responsione quòd ipsos articulos dogmatizat cum pluribus mediis præcedentibus & subsequen- tibus, ex quibus, ut dicit, plenius aperitur intentio ipsius fratris Petri quàm per nudos articulos sic tractos, & quòd ipse loquitur sicut faciunt Doctores theologi. Afferit etiam in responsionibus & confessionibus sponte factis, datis, & oblatis coram ipsis auditoribus per vestram sanctitatem deputatis quòd ea quæ fuerunt per eum dicta in dicto libello qui incipit *Sanctitati apostolica*, fuerunt catholica, & quòd illis eisdem protestationibus quas fecit in eo insistebat, & repetebat easdem, & quòd adhuc nesciebat aliquem articulum hæreticum in dicta doctrina contineri. Afferit etiam Inquisitorem qui contra dictam doctrinam & sectatores ejus processit, temerariè processisse. Ex quibus clarè constat quòd ipse frater Vbertinus credit & tenet dogmatizata in dicta postilla de Romana Ecclesia esse vera & catholica, & ea tamquam catholica fallaciter excusare & defendere nititur quantum potest. Unde fautor & defensor ipsorum errorum censetur. Qui enim exquisitis coloribus sive fallaciis nititur regere seu occultare aut excusare crimen sive errorem, ipsius criminis sive erroris defensor est dicendus. *xj. q. iij. C. Ita corporis.* Unde Dominus Guido Fulconis, qui postea fuit Clemens quartus, in suis consultationibus, quæ habentur in libris Inquisitorum hæreticæ pravitatis, dicit quòd illi dicuntur defensores hæresum sive hæreticorum qui eos sub quibusdam coloratis seu palliatis adinventio- nibus excusare nituntur.

Secundò dicit quòd dictus frater Vbertinus

tam in dicto libello qui incipit *Sanctitati apostolica* quàm in quodam alio qui incipit *Super tribus sceleribus*, & quibusdam aliis confessionibus per ipsum fratrem Vbertinum compositis & factis & judicialiter productis, de quibus libellis & confessionibus præfatus Dominus Clemens non cognovit, nec aliquam commissionem fecit, nec aliqua de eis ipsi Domino Clementi relatio reperitur fuisse facta, dixit, asseruit, docuit, tenuit, & defendit illum errorem, videlicet quòd abdicatio proprietatis & domini & omnis juris & jurisdictionis temporalis tam in speciali quàm in communi & usus pauper omnium rerum utribilius est lampas nostræ fidei & de essentia sive substantia ac integritate perfectionis evangelicæ & vitæ apostolicæ, & quòd Episcopi, qui adinstar Apostolorum professi sunt vitam apostolicam, ad hæc tenentur, & quòd contrà dicere vel sentire est hæreticum, & quòd dicere Christum non imposuisse hæc suis Apostolis & spiritualibus sectatoribus sub præcepto est Christi vitam & evangelium blasphemare. Qui quidem error in scriptis & libris Petri Iohannis, maximè in tractatu de altissima paupertate, & in dicta postilla super Apocalypsim dogmatifatur; & quem errorem tam magistri, quibus vestra sanctitas commisit, quàm alii pluries iudicaverunt hæreticalem manifestè.

Tertiò dicit quòd prædicti frater Petrus in suis libris & frater Vbertinus tam in prædictis libellis & confessionibus ejus quàm etiam in quibusdam aliis confessionibus & libellis docent, asserunt, tenent, & defendunt quòd regula fratrum Minorum est verè & propriè idem quod evangelium, & quòd idem est evangelium & dictam regulam promittere, & quòd pro eodem est votum & observantia evangelii & regulæ prædictæ, &

quòd paupertas evangelica per Christum Aposto-
lis tradita & imposita sub præcepto sive voto ab-
dicationem paupertatis & dominii in speciali & in
communi & usum pauperem & arctum rerum es-
sentialiter comprehendit, & ex utroque tamquam
ex partibus essentialibus integratur, & quòd con-
servatio in futurum tamquam paupertati apostoli-
cæ contraria in evangelio & dicta regula directè
prohibetur, & quòd per votum & observantiam
evangelii intelligitur observantia regulæ prædictæ,
& è contrario, & quòd idem omnino significa-
tur nomine evangelii & nomine regulæ prædictæ.
Quæ quidem dicta tam magistri quibus sanctitas
vestra commisit quàm alii plures magistri & do-
ctores judicaverunt hæretica manifestè. Et Inqui-
sitores hæreticæ pravitate contra Serabaytas &
Beginos dictos errores tenentes tamquam contra
hæreticos processerunt, & eos propter istud ex-
tremo iudicio tradiderunt curiæ seculari.

Quartò dictus frater Bonagratia dicit quod ad
defensionem manifestæ hæresis de generatione es-
sentiæ in divinis & distinctione & triplicatione
ipsius essentiæ, quæ suprâ scripta est in primo ar-
ticulo septem articulorum, quam hæresim saepe
dictus frater Petrus Iohannis docuit in libris &
scriptis suis, præfatus frater Vbertinus in suis li-
bellis & confessionibus quos fecit, & quibus uti-
tur, & maximè in illo qui incipit *Sanctitati apo-
stolica*, arguit iudicium magistrorum in sacra pa-
gina dicentium dictam positionem fratris Petri Ior-
hannis obviare determinationi Concilii generalis,
& dicit, tenet, & defendit dictam positionem fra-
tris Petri in hæc verba: *Falsa dicunt cum dicunt
quòd sacrum Concilium dicit quòd essentia, prout est
in patre & idem quod persona patris, nullo modo po-
test dici generans. quod sacrum Concilium dicere nos*

videtur. Et frater Petrus Iohannis non intendit impingere in ipsum Concilium, immo ipsum Concilium concordare cum Nicano Concilio nititur, dicens quòd essentia est de se nomen communissimum & præ ceteris abstractum & absolutum. Vnde in quantum est commune & absolutum & nulli personæ appropriatum, non competit sibi stare pro una personæ vel pro solis duabus, sed pro omnibus simul, in quantum sunt unum. Idcirco essentia in quantum est absolutissimè & abstractivè sumpta & nulli personæ appropriata, non generat, nec gignitur, nec procedit; quia in quantum talis, non stat propriè pro sola personæ patris vel filij vel spiritus sancti, nec pro essentia, in quantum est propria huius vel illius personæ. Et ex hac explicatione Concilij & ex multiplici usu sanctorum habetur quòd essentia stat aliquando communiter & absolutè non supponendo pro hac vel illa personæ nec pro aliquo proprio illius vel illius, aliquando verò stat pro essentia in quantum est propria huius vel illius personæ, ac per consequens pro hac vel illa personæ. Ecce cum quanta sobrietate loquitur ipse frater Petrus de essentia divina, & plures alij magistri solemnes utuntur distinctione prædicta quam facit dictus frater Petrus. Hæc sunt verba dicti fratris Vbertini ad excusationem & defensionem dicti erroris fratris Petri prolata. Et in alia responsione dicit idem frater Vbertinus in hæc verba. Ego nunquam dixi nisi quòd nullus intelligens unquam negaret, scilicet quòd essentia divina sumpta pro personæ patris, & prout est idem quòd pater, potest dici generans. Hæc verba fratris Vbertini, quæ secundùm iudicium magistrorum solemnium sunt hæretica iudicata, tamquam apertè obviantia generali Concilio posito extra de summa Trinitate, & fide cathol. cap. *Damnamus*, in quo manifestè diffinitur quòd illa essentia quæ est pater,

filius, & spiritus sanctus, tres simul personæ, & quæ est sigillatim pater & in patre, qui generat, non est generans, & quæ sigillatim est filius & in filio qui gignitur, non est genita, & quæ sigillatim est spiritus sanctus & in spiritu sancto qui procedit, non est procedens, & quod distinctio solummodo est in personis & non in essentia, & innuatur secundum ipsum Concilium quod essentia nunquam veraciter abstrahitur ab aliqua personarum, sed semper est tres simul personæ, & sigillatim quælibet earundem, & quælibet illarum personarum est illa tota essentia divina quæ semper omnino per identitatem & communitatem est in tribus personis & sigillatim in qualibet trium personarum tota, licet sit sub diversis modis habendi qui non distrahunt ipsam essentiam à sua unitate reali. Et dicitur quod quicumque opinionem contrariam definitioni dicti Concilii defendere vel approbare præsumpserit, tamquam hæreticus ab omnibus confutetur.

Quintò dicit dictus frater Bonagratia quod ex dictis libellis compositis per dictum fratrem Vbertinum ad defensionem dictæ doctrinæ, & ex eo quod dictis libellis coram auditoribus deputatis à sanctitate vestra usus est, & dicta in eis approbavit & approbat tamquam catholica & catholice dicta, & ex quodam alio libello per ipsum fratrem Vbertinum post definitionem Concilii Viennensis composito ad defensionem dictæ doctrinæ, qui libellus incipit *Ne in posterum*, judicialiter & sponte per ipsum oblato coram ipsis auditoribus & registrato, & ex aliis pluribus confessionibus factis per ipsum Vbertinum & registratis in actis, & ex aliis productis & actis coram dictis auditoribus constat quod ipse frater Vbertinus & ante Concilium Viennense & post ipsum Concilium, & post sen-

tentiam Inquisitorum prolatam contra articulos manifestè hæreticos, & qui in damnatam hæresim incidunt, fuit & est credens, defensor, sectator, & fautor prædictorum errorum de quibus coram sanctitate vestra agitur & actum est contra eum.

Sextò dicit dictus frater Bonagratia quòd non relevat nec excusat in aliquo dictum fratrem Vbertinum illud quòd ipse in suis articulis nisus est probare fuisse dictum per præfatum Dominum Clementem Papam in consistorio publico præsentibus fratre Raymundo tunc procuratore ordinis prædicti & ipso fratre Vbertino, quorum verborum Domini Clementis talem asserit fuisse tenorem. *Hortamur ac monemus vos quòd sicut ad divinum servitium estis vocati, sic pacem & unitatem caritativam inter vos habeatis, & omnia quæ præterierunt veniant in oblivionem, & nullus alij insultet de præteritis, nec contristet.* Et tunc frater Vbertinus dixit: *Pater sancte, ipsi vocant nos hæreticos & hæresum defensores, & de hoc pleni sunt quaterni in archivis vestris & in registris fratrum. Vel ipsi proponant ista, & defendemus nos; vel ipsi revocent, quia alias nec ipsi nobiscum nec nos cum eis possemus pacem habere.* Ad quæ ipse Dominus Papa respondit. *Quòd dicitis quòd aliqui vocant vos hæresum defensores, dicimus papaliter quòd per ea quæ coram nobis dixistis vel allegavistis, vel alij contra vos, nullus debet hæreticos vel defensores hæresum vos vocare, & ea quæ de hac materia in nostris archivis continentur vel alibi, totaliter delemus, & volumus quòd contra vos habeant aliquam roboris firmitatem.* Hæc verba articulorum dicti fratris Vbertini, super quibus articulis dictus frater Raymundus de Franciaco testis productus per ipsum fratrem Vbertinum, & quo testimonio usus est, nec improbare illud potest, dicit quòd præfatus

Dominus Clemens dixit in consistorio in hæc verba, videlicet. *Per ea quæ coram nobis in hoc negotio allegavistis, vel alij contra vos, quæ nos sciamus, nullus debet hæreticos vel defensores hæreticorum vos vocare.* Et verè dicta verba, esto quòd essent probata, non relevant nec excusant dictum fratrem Vbertinum, sed potiùs aggravant & accusant. Primò non relevant nec excusant eum ab his quæ dixit, tenuit, & asseruit defendendo dogmatizata per ipsum fratrem Petrum in postilla per eum composita super Apocalypsim; quia articuli tracti de postilla prædicta, de quorum defensione nunc agitur principaliter contra ipsum fratrem Vbertinum, ut superius dictum est, nusquam reperiuntur fuisse propositi coram ipso domino Clemente, nec reperitur quòd sciverit illos ibidem contineri, nec quòd commissionem aliquam fecerit de ipsis articulis & de defensione eorum, nec quòd aliqua super his sibi relatio facta fuerit; ac per consequens verba prædicta, *videlicet per ea quæ coram nobis dixistis*, nullo modo possunt ad ipsos articulos tractos de postilla nec ad eorum defensionem extendi, non obstante quòd dicitur quendam libellum oblatum fuisse tempore Viennensis Concilii coram præfato Domino Sabinensi & sociis deputatis super examinatione dictorum septem articulorum & librorum dicti fratris Petri, in quo libello dicuntur in substantia contineri articuli de postilla, quia in commissione facta ipsi Domino Sabinensi & sociis non veniebat cognitio de ipsis articulis & de defensione eorum. Vnde responderunt quòd non admittebant ipsum libellum &c. Nec de his cognoverunt, nec relationem aliquam fecerunt de his, nec ultra formam commissionis facere debuerunt nec potuerunt. Præterea non sequitur. Datus fuit talis libellus coram Domino Sabinensi &

fociis, ergo Dominus Clemens scivit & cognovit contenta in eo. Item non relevant nec excusant ipsum fratrem Vbertinum à defensione septem articulorum qui propositi fuerunt coram ipso Domino Clemente, & quorum examinationem commisit utrum continerentur in dictis libris; quia nusquam reperitur quòd coram ipso Domino Clemente fuerint proposita nec allegata illa quæ continentur in prædictis libellis *Sanctitati apostolicae*, & *Super tribus sceleribus*, & aliis præallegatis libellis compositis per ipsum fratrem Vbertinum ad defensionem ipsorum septem articulorum & aliorum errorum dogmatifatorum in dictis libris fratris Petri, nec quòd Dominus Clemens unquam commiserit examinationem dictorum libellorum nec contentorum in eis, nec quòd aliqua relatio de eis & contentis in eis sibi facta fuerit. Præterea non dicitur quòd frater Vbertinus sit censendus hæreticus vel defensor hæresum ex his quæ dixit & allegavit coram Domino Clemente, sed ex contentis in dictis libellis per eum compositis, quæ nusquam reperiuntur fuisse dicta & allegata per eum coram ipso Domino Clemente. Nec etiam dicitur quòd sit censendus hæreticus vel defensor hæresum ex his quæ accusantes ipsum fratrem Vbertinum dixerint & allegaverint coram ipso Domino Clemente; quia hoc dicere foret ridiculum & insanum; sed dicitur quòd est censendus defensor & fautor hæresum ex eò quòd sponte & in multarum animarum perniciem fecit, composuit, & publicavit dictos libellos ad defensionem dictorum errorum & doctrinæ, in quibus tenet, sectatur, & defendit dictos errores, in quibus multa continentur quæ incidunt in hæreses Ex quibus manifestè sequitur quòd verba quæ dicuntur fuisse prolata per ipsum Dominum Clementem nullo

modo possunt exs..... ut absoluisse videatur ipsum fratrem Vbertinum ab his de quibus nunc coram vestra sanctitate agitur contra eum. Præterea per dicta verba quæ dicuntur fuisse prolata per Dominum Clementem nullo modo potest argui quòd ipse videatur dictum fratrem Vbertinum absoluisse nec absolvere voluisse ab his de quibus agitur contra eum; quia, ut patet ex forma & tenore ipsorum verborum, fuerunt verba enuntiantis & inducentis partes ad pacem habendam inter se. Et quia frater Vbertinus conquerebatur quòd fratres diffamabant ipsum, vocando eum defensorum hæresum, ideo volens quòd fratres non diffamarent eum, & referens se ad diffamationem & detractionem illicitam pacis impeditivam, dicitur verba prædicta protulisse. Nusquam autem dici potest quòd prædictum fratrem Vbertinum absoluisse videatur quòd non posset impeti de crimine hæresis, sive defensione & fautoria criminis hæresis, si posset veraciter ostendi ipsum in tale crimen incidisse, cum hoc non sit diffamare. Diffamator enim dicitur qui non probanda objicit contra fratrem, *xlvi. di. Accusatores.* Immo manifestè patet per bullam litteræ exemptionis datæ fratri Vbertino quòd ipse Dominus Clemens voluit quòd contra ipsum fratrem Vbertinum possit de crimine hæresis, si incidisset vel incideret in illud, agi coram eo & auditoribus per eum datis & dandis & coram successoribus suis, sicut nunc agitur, cum in ipsa littera exemptionis dicatur in hæc verba. *Inhibemus ne quis ipsorum propter culpam aliquam præteritam, presentem, vel futuram verè vel falso impositam vel imponendam, pro qua essent pœna notabili puniendi, possit à quibuscunque puniri, vel pro talibus judicialiter conveniri, nisi coram nobis vel successoribus nostris aut auditoribus deputatis vel deputandis.*

putandis. Hæc verba bullæ exemptionis prædictæ, ex quibus patet quòd pro crimine hæresis imposito vel imponendo voluit eum posse judicialiter conueniri & puniri coram illis de quibus in ipsa littera dicitur. Præterea dicti articuli & probationes receptæ super his nullius sunt aliàs firmitatis, cum fuerint recepti & receptæ Inquisitore hæreticæ pravitatis, qui principalis fuit pars, & de cujus facto agebatur, & fratre Monaldo procuratore ordinis nullatenus monitis nec citatis. Frater enim Bonagrata non fuit admissus ut procurator alicujus, sed per determinationem vestræ sanctitatis fuit admissus solùm ut instructor. Fuerunt etiam recepti contra formam commissionis factæ ipsis auditoribus, ut in aliis allegationibus super his factis plenius ostenditur & continetur. Accusant autem & aggravant prædicta fratrem Vbertinum prædictum ex eo quia qui exquisitis coloribus & fallaciis nititur tegere seu excusare errorem, defensor & sectator ipsius erroris est censendus, ut superius est probatum.

Ultimò dicit dictus frater Bonagrata quòd ipse frater Vbertinus fuit defensor, sectator, & fautor Fratricellorum dicentium & tenentium quòd à tempore Domini Cælestini Papæ non fuit in Ecclesia Papa verus, & plures alios errores; & ad hoc probandum inducta sunt in actis plura documenta quæ videantur, de quibus præfatus Dominus Clemens nusquam cognovit, nec commissionem aliquam fecit, nec eidem de his relatio aliqua facta fuit.

Et prædicta dat dictus frater Bonagrata, salvo jure addendi, si expediens fuerit, & declarandi.

Postea paulo infra sequitur in veteri codice.

Quòd autem præfatus frater Vbertinus ante

Concilium Viennense fuerit defensor & fautor dictorum errorum tam dogmatifatorum in dicta post illa super Apocalypsim quam prædictorum aliorum septem errorum probatur per libellos & confessiones factos & factas per dictum fratrem Vbertinum & judicialiter productos, & maxime per libellos & confessiones quorum unus incipit *Sanctitati apostolica*, alter *Super tribus sceleribus*, & etiam per alias confessiones ipsius fratris redactas in actis & legitima documenta.

Quòd etiam post dictum Concilium Viennense dictus frater Vbertinus fuerit fautor dictorum errorum probatur per confessiones ipsius fratris Vbertini factas coram auditoribus in dicta causa deputatis per sanctissimum Patrem Dominum Iohannem divina providentia Papam xxii. & in actis publicis redactas, & per legitima documenta.

Qu. protestationes quas dicit se fecisse quòd non intendebat errores defendere. Et articuli. produxisse ad probandum absolutionem quam dicit fuisse factam per præfatum Dominum Clementem nec excusent à prædictis, plenè ostenditur per allegationes super hoc factas quæ videantur.

